


1750





D. O. M.

POSITIONES ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



CORPORIS humani ſtructuræ indagatio eſt Chirurgo adeò neceſſaria, ut nullos affectus apprimè cognoſcere, nulloſque morbos tutò curare poſſit, ſi Anatomiæ ignarus artem profiteri audeat. Ideò thoracis Anatomen exponemus, quia de hujus ventris partibus vulneratis in poſitionibus Chirurgicis agemus.

PECTUS, ſeu medius venter, eſt ea pars trunci, collum inter & abdomen ſita; cujus fines, anteriùs, ſternum & claviculæ; poſteriùs, dorſi vertebræ duodecim & ſcapulæ; à lateribus, coſtæ in veras & ſpurias diſtinctæ; inferiùs, ſeptum diaphragma dictum, circumſcribunt. Quæ partes unà cum muſculis pectoralibus, intercoſtalibus, ſerratis, & multis aliis, arcuatum fornicem, ſurſùm anguſtiorem, deorſùm ampliorem, efficiunt, tegumentis communibus involutum. In parte anticâ, præcipuè in feminis, eminent mammæ quarum uſus in prægnantibus, puerperis & lactantibus potiſſimùm viget.

PECTORIS cavum pleurâ obducitur, duabus lamellis


conflatâ, quarum exterior ob adhæsionem cum partibus vicinis aspera, interior lævis & humore jugiter stillanti madida.

PLEURA duplex : Quælibet singulum pulmonem continet & obtegit : ex utriusque conjunctione oritur mediastinum, quod thoracem secundùm longitudinem obliquè & inæqualiter bipartitur, undè cavitas dextra sinistrâ amplior. Sub sterni parte inferiori sibi mutuò accumbunt lamellæ mediastini; superiùs, interstitium, quo thymus excipitur, suppeditant; removentur posteriùs, & cameram cellulosam efformant, in quâ pericardium, cor, & vasa majora situm obtinent. Extrà pleuram, juxtà vertebras, pergunt œsophagus, ductus thoracicus, aorta, azygos.

PARTES præcipuæ in pectore contentæ respirationi & sanguinis circulationi inserviunt. Respirationis organa sunt trachea & pulmones, mediantibus Diaphragmate, aliisque musculis inspiratoriis & Exspiratoriis. Circuitum sanguinis promovent cordis ventriculi, auriculæ, trabes carneæ, valvulæ, & vasa majora.

RESPIRATIO in inspirationem & Exspirationem dividitur. In inspiratione ampliatur pectoris cavitas, pulmo dilatatur & ingreditur aër : egreditur in exspiratione, coarctato pectore & pulmone presso.

MOTUS Sanguinis circulatorius à vi contractili cordis & arteriarum pendet; unde sanguis à corde ad extimas usque corporis partes per arterias fertur, & ex his per venas ad cor reducitur.



EX CHIRURGIA.

VULNERA pectoris vulgò dicunt penetrantia, aut non penetrantia; Vulnera quæ pectoris cavum non attingunt, cutem, adipem, musculos, aut ossa lædunt. In vulneribus penetrantibus partes inclusæ graviùs leviùs-vè sauciantur, & majorem aut minorem sanguinis copiam extrà aut intrà pectus, pro vulneris situ & partis læsæ indole, effundunt, intactæ quandoque manent.

REPETENDA non est vulnerum thoracis simplicitas aut complicatio, ex eo quod penetrent aut non penetrent, sed à

modo quo partes vulnerantur, & ab accidentibus: Vidimus enim vulnera partium continentium lethalia, dùm, pulmonibus enſe transfixis, intrà paucos dies ægri convaluerunt. Muſculorum externorum aponevroſes aut tendines ſecti ſœpè maxima inducunt accidentia. Quid non timendum eſſet de arteriæ intercoſtalis hemorragiâ, ſi deeſſent auxilia, ex quibus Compreſſio Ligaturæ anteponenda videtur. *

VULNERUM thoracis cavum penetrantium, partium contentarum Læſionis, cruoris effuſi & ſuprà ſeptum collecti multa dantur ſigna; obſcuriora, ſi ſeorsìm, certiora, ſi collectivè ſpectentur,

SI Via Vulneris ſit recta, Vulnus in cavum pectoris tranſire denotant cruor & aër cum ſibilo exiliens; aër enim exterior ingreſſus, calore rare-factus, in inſpiratione cum impetu efflabitur, & candelæ flammulam Vulneri admotam extinguet, aut ſaltem dimovebit.

IN obliquo Vulnere ſæpè exitus aëri impeditur, & in membranam celluloſam ſubrepit, undè emphyſema. Quod, ſi Vulneris momento accidat & brevi temporis ſpatio mirum in modum augeatur, certò indicat læſos bronchiorum ramos; ſecùs, ſignum penetrationis incertum.

AD exploranda pectoris Vulnera, à ſpecillo & aquæ tepidæ injectione, tanquam mediis inutilibus & noxiis prorsùs abſtineat Chirurgus.

CRUOR *ſpumoſus è Vulnere* erumpens, ſputa cruenta, ſpirandi difficultas, pulmonem læſum demonſtrant. *Septum* tranſverſum Vulneratum indicant, anhelitus, ſingultus, dolor acutus & profundus, labiorum motu ſpaſmodico ſtipante.

INGENS ſanguinis profluvium, animi deliquium, pulsûs exilitas, ſudores frigidi, cordis, Ventriculorum, auricularum, aut Majorum vaſorum ſolutam unionem ſignificant, proximamque mortem præſagiunt.

SANGUINIS effuſi in alterutrâ aut utrâque pectoris cavitate Collectio diverſis ſignis innoteſcit. Spiritus difficilis, decubitus moleſtior in latus ſanum, pondus in ſepto, & ſi major

* M. Bellocq è Regia Chirurg. Acad. torcular exiguum invenit ad ſiſtendam arteriæ intercoſtalis hemorragiam.

ſit ſanguinis copia, prominentia hypocondrii, coſtarum ſpuriarum diſtentio, in uno tantum latere coacervationem certò certiùs deſignant. Reſpiratio difficilior, frequentior Lipothymia, decubitus facilior in dorſum & in utrumque latus impoſſibilis, ſeptum graviori pondere obrutum, in utrâque cavitate ſanguinis collectionem probant.

VENÆ ſectionibus iteratis & tenui Victûs ratione accidentia debellanda & arcenda.

IN Emphyſemate Vulnus ampliandum.

COGNITA ſanguinis Collectione, per Vulnus ipſum, ſi Vulneris ſitus ſit commodior, ſanguis educendus : ſi per Vulnus elabi non poſſit, operatio Empyematis in loco electionis inſtituenda.

OPERATIONE celebratâ, raro deligandum Vulnus, turundam rejiciendam, faſciolam in Vulnus immitendam, injectiones primis diebus utiles, ſeriùs infeſtas, cenſemus.

Has poſitiones, DEO JUVANTE, & Præſide M. JOANNE-BAPTISTA-ANTONIO ANDOUILLE' Artium & Chirurgiæ Magiſtro, Demonſtratore Regio, Scholæ Præpoſito & nuper Noſocomiorum Caſtrenſium & Regis exercitûs Chirurgo Primario, *tueri conabitur* BONAVENTURA FOURNIER, *Aquiſextanus', Artium Magiſter & Noſocomii Generalis Pariſienſis, in domo dictâ* BICETRE, *Chirurgus Præcipuus.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Jovis xiv. Maii à ſeſquiſecundâ poſt meridiem ad ſeptimam. Anno Domini 1750.

PRO ACTU PUBLICO

ET

SOLEMNI COOPTATIONE.

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ Typographi 1750.